

bentibus alios redditus quam distributiones quotidianas. Die 17 Februarii 1663. Rescriptum fuit: ad I, II, III, *Negative*; ad IV, « explicandam naturam harum distributionum: » ut in lib. *Decr.*, p. 433.

(48. In qua *Algaren. subsidii charitativi* propositis sequentibus dubiis: I. An episcopus Algarensis potuerit a canonicis præbendatis cathedralis ecclesiæ exigere subsidium charitativum, et in qua summa, et quatenus *negative*; II. An teneatur illud restituere? III. An episcopus potuerit dictum subsidium charitativum exigere non solum a parochis, sed etiam a vicariis perpetuis, et in qua summa? IV. An licuerit prælaudato episcopo exigere dictum subsidium, tam ab ecclesiis et confraternitatibus habentibus beneficium unitum, aut alios redditus quam a confraternitatibus nullum beneficium unitum possidentibus, aut nullos, aut ad summum tenues redditus piis oneribus gravatos habentibus? V. An potuerit ab episcopo confici taxa controversi subsidii charitativi post requisitum, sed non obtentum capituli consensum, illudque exigere in summa taxata in casu, etc. Sacra congr. Concil. 2 Augusti 1738 respondit, « omnia ad eminentissimum Rezzonicum, qui dignetur rem perpendere, auditis partibus, etiam cum facultate agendi pro concordia et sacræ congregationi referre. »

(49. In *Marianen. Subsidii charitativi* pro-

## SUCCESSIO AB INTESTATO.

## SUMMARIUM.

1. Quis dicatur decedere intestatus? — 2. Qui tali succedit, dicitur ab intestato succedere, et hæres ab intestato vocatur. — 3. Quamvis qui testari non potuit, proprie non sit dicendus intestatus, tamen hic quoque in jure pro intestato accipitur. — 4. Successio ab intestato quid sit? — 5. Quando locus sit intestatæ successioni. — 6. Successio ab intestato est duplex, scilicet in capita et in stirpes. — 7. Successio in capita quæ sit? — 8. Successio in stirpes quæ sit? — 9. Succedentium ab intestato quinque ordines assignantur. — 10. Filii naturales simul et legitimi quomodo succedant? — 11. Filii legitimi per subsequens matrimonium succedunt eodem modo quo legitimi. — 12. Filii legitimi tantum, id est adoptivi, etiam eodem modo quo legitime nati, æqualiter in capita succedunt adoptanti vel abroganti. — 13. Filii naturales legitimi per rescriptum supremi Principis æquali jure, ac si fuissent legitime nati, succedunt ab intestato suis parentibus, si tres concurrant conditiones, quæ assignantur. — 14. Legitimitas filii naturalis facta per rescriptum supremi Principis tempore quo nulli exsistebant filii naturales simul et legitimi, probabilis non expirat quoad successionem ab intestato, etiamsi postea nascantur patri filii legitimi. — 15. Filii naturales, non exstantibus aliis ex legitimo matrimonio natis neque uxore legitima, succedunt ab intestato patri una cum sua matre in sextante seu duabus uncis æqualiter inter eos dividendis. — 16. Si autem exsint filii aut nepotes legitimi, vel legitima uxor, tunc non succedunt filii naturales patri ab intestato, nec avo paterno; sed solum debentur illis alimenta ex bonis paternis arbitrio boni viri. — 17. Succedunt tamen dicti filii naturales matri etiam illustri et omnibus ascendentibus per lineam maternam una cum legi-

posito dubio: « An episcopo Marianen. debeat subsidium charitativum ex rectoriis di Belgodere, e di Russino, ut præteditur spectans ad monachos Olivetanos, vel potius obstet prætensa exemptio DD. PP. in casu, » etc. Sacra congreg. Concil., die 8 Febr. 1713, distulit propositionem; die vero 11 Martii 1713 respondit, « *Negative* quoad primam, et *Affirmative* quoad secundam partem, et *amplius*. » Sic apud *Thesaurum*, tom. IX, circa finem in dict. *Marianen. Subsidii charitativi*.

Alia vide infra, ad verb. VISITATIO.

## ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(50. Quod ait auctor n. 14 posse clericos compelli ad charitativum subsidium, id controversia haud caret. Sunt enim qui post Innocentium, in cap. *Cum apostolus*, De censib., tenent nunquam clericos ad subsidium charitativum cogi valere. (51. Non ignoramus vero prævaluisse opinionem affirmativam, sed eam amplectendam vellem ea cum moderatione quam affert Ziegler., *De episcop.*, lib. III, c. 27, § 16, quod scilicet et justæ sint causæ ipsum exigendi, et episcopus redditibus haud abundet.

(52. Qui autem plenius de charitativo subsidio instrui cupit, is adeat Gonny, in tractatu *De charitat. subsid.*, qui quæstiones omnes ad materiam hæc pertinentes examinat.

time natis. — 18. Filii spurii, vulgo *quæsi*, nullatenus succedunt patri ab intestato. — 19. Succedunt tamen matri non illustri æque ac filii naturales. — 20. Matri autem illustri et habenti filios legitimos non succedunt ab intestato; secus vero si legitimis filiis careat. — 21. Filii ex damnato coitu nec patri, nec matri ab intestato succedunt, quamvis nulli legitimi filii exsint. — 22. Filiis ex damnato coitu æquiparantur quoad successionem filii quorum parentes ob crimen læsæ majestatis sunt condemnati. — 23. Qui sint et dicantur filii legitimi, illegitimi, naturales, spurii, quæsi, filii ex damnato coitu, *remissive*. — 24. Nepotes et pronepotes succedunt ab intestato avo et aviæ in stirpes, sive adhuc exsint filii dicti avi et dictæ aviæ, sive non. — 25. Deficientibus descendentibus, et fratribus, seu sororibus germanis succedunt ab intestato soli ascendentes, servata tamen graduum prærogativa, ita ut proximiores gradu excludant remotiores. — 26. Moriente filio sine liberis, relicto superstite patre et avo materno, matre jam mortua, solus pater succedit excluso penitus avo materno, etiam quoad bona materna, et sic vice versa. — 27. Si defunctis patre et matre, exsint plures ascendentes sine fratribus vel sororibus defuncti, v. gr. exsint avus et avia in linea paterna, et simul avus et avia in linea materna, aut ex parte patris exsint solus avus, et ex parte matris avus et avia, vel vice versa, tunc succedunt defuncto nepoti aut pronepoti omnes æqualiter, non in capita, sed in stirpes. — 28. Quando cum ascendentibus æqualis gradus exsint etiam germani fratres et sorores defuncti, tunc succedunt omnes æqualiter, et in capita. — 29. Sorores autem et fratres solum uterini, vel solum consanguinei excluduntur per ascendentes, nec possunt cum illis succedere hæreditati fratris uterini defuncti. — 30. Germanorum filii succedunt cum ascendentibus, et fratribus seu sororibus germanis hæreditati alterius

prædefuncti germani fratris aut sororis, non nisi tamen in stirpem. — 31. Nepotes autem seu pronepotes non gaudent hoc privilegio. — 32. In iis casibus, in quibus filii naturales et illegitimi succedunt parentibus, parentes etiam succedunt illis. — 33. Deficientibus descendentibus et ascendentibus succedunt ab intestato defuncto ejus sanguine juncti collaterales, et quidem æqualiter, et in capita, cum hoc tamen quod collateralis proximior semper totaliter excludat remotiorem. — 34. Quando cum defuncti fratribus et sororibus germanis exsint etiam filii alterius fratris aut sororis germanæ prædefunctæ, tunc etiam isti cum illis succedunt, ita tamen, ut fratres et sorores succedant in capita, et dicti filii solum in stirpem. — 35. Sicuti fratres germani, ita etiam et filii fratrum germanorum excludunt fratres solum uterinos, et solum consanguineos, sublata omni differentia sexus et emancipationis. — 36. Si soli filii diversorum fratrum vel sororum exsint, et nullus frater defuncti, nec germanus, neque solum consanguineus, aut solum uterinus, tunc filii et filiæ fratrum germanorum non in stirpes, sed in capita succedunt defuncto patre. — 37. Si autem, nullis exstantibus fratribus germanis defuncti, exsint ejusdem fratres consanguinei vel uterini, tunc succedunt quidem soli filii et filiæ fratrum germanorum, exclusis fratribus solum consanguineis, vel solum uterinis; at vero in stirpes, et non in capita. — 38. Quando nulli exsint liberi legitimi, nec germani fratres aut sorores defuncti, de ejus hæreditate agitur, tunc ab intestato succedunt ejus consanguinei, seu uterini fratres, et sorores, exclusis omnibus aliis collateralibus. — 39. Quando defunctus relinquit quosdam fratres consanguineos, et quosdam etiam uterinos, tunc probabilis fratres consanguinei succedunt in bonis paternis, et uterini in maternis, in aliis vero bonis æqualiter et indistincte succedunt. — 40. Sententia tamen opposita est vere probabilis. — 41. Deficientibus omnibus fratribus et sororibus, tam germanis quam consanguineis, et uterinis, eorumque omnibus filiis, succedunt ab intestato reliqui collaterales sanguine juncti gradu propinquiores, et quidem non in stirpes, sed in capita. — 42. Ab intestato succedere possunt omnes cognati gradu propinquiores probabilis usque ad decimum gradum tantum secundum computationem civilem. — 43. Plures tamen alii satis probabiliter censent, hodie agnatos et cognatos etiam ultra decimum gradum admitti ad successionem in infinitum. — 44. Filii adoptivi non succedunt filiis legitimis patris adoptantis, nec aliis agnatis et cognatis, nec isti succedunt filio adoptivo. — 45. Fratres naturales, spurii, ac cæteri hujusmodi naturales ex uno patre et diversis matribus prove-

(1. Ille dicitur decedere intestatus, seu « intestatus decedit, qui aut omnino testamentum non fecit, aut non jure fecit, aut id quod fecerat, ruptum irritumque factum est, aut si ex eo nemo hæres exstiterit. » Sic expresse habetur in princip. Instit. *De hæreditatibus que ab intestato deferuntur*, et concordat l. *Intestati 1, ff. De suis et legitimis hæredibus*, ibi: « Intestati proprie appellantur, qui, cum possent testamentum facere, testati non sunt; sed et is, qui testamentum fecit, si ejus hæreditas adita non est, vel ruptum, vel irritum est testamentum, intestatus non improprie dicitur decessisse. » (2. Unde qui tali succedit, dicitur intestato seu ab intestato succedere, et hæres ab intestato vocatur. *Communis*. (3. Imo quamvis qui testari non potuit, proprie non sit dicendus intestatus, tamen hic quoque in jure oro intestato acciditur, textu

nientes, sibi invicem ab intestato nullatenus succedunt. — 46. Neque dicti fratres naturales et spurii succedunt fratri legitime procreato, vel legitimo; nec isti illi. — 47. Fratres naturales, ac spurii, et cæteri hujusmodi collaterales uterini succedunt et sibi invicem, et collateralibus legitime natis, et si legitime nati essent etiam ipsi. — 48. Collaterales ex damnato coitu, nec sibi invicem, nec legitimis, nec hi illis ab intestato succedere possunt, sive ex parte patris, sive ex parte matris sint conjuncti. — 49. Deficientibus omnibus consanguineis defuncti, sive descendentibus, sive ascendentibus sive collateralibus, tunc nisi adsint in contrarium pacta dotalia, aut statuta, seu consuetudines locorum, succedit superstes conjux excluso fisco. — 50. Dammodo tamen tempore mortis unius nullum inter eos reperitur divortium, etiam quoad torum vel cohabitationem. — 51. Uxor pauper an, quomodo et quando succedat defuncto marito diviti, etiam exstantibus liberis vel aliis consanguineis? ad num. 54. — 55. An et quomodo etiam maritus pauper succedat reciproce cum liberis aut sanguine junctis uxoris. — 56. Deficientibus consanguineis ultra decimum gradum, et uxore aut viro, succedit ultimo loco fisco in omnibus bonis vacantibus defuncti seu defunctæ. — 57. Ut fisco legitime succedat dictis bonis, quid prius agere debeat? — 58. Limitatur tamen conclusio quoad bona peregrinorum in remotis locis a sua patria decedentium ab intestato. — 59. In bona clericorum patrimonialia, quasi patrimonialia, industrialia, et parcimonialia succedunt ab intestato eorum legitimi consanguinei. — 60. Si clericus consanguineos successione capaces non habeat, in dicta bona succedit ecclesia, cui servivit, seu in qua beneficium habuit, excluso fisco episcopali. — 61. Si autem clericus intestatus decedens, nec habeat consanguineos successione capaces, aut beneficium habuerit, in dicta sua bona succedit fisco episcopalis. — 62. Episcopus tamen in dicto casu non potest sibi ipsi talia bona appropriare, sed debet ipsa erogare in pias causas. — 63. In bona vero mere ecclesiastica clericorum succedit collegium ipsorum, vel successor in beneficio, si clericus defunctus bona separata possidebat, ab eodem tamen in pios usus fideliter distribuenda. — 64. In omnia bona religiosorum professorum, qui de ipsis ante professionem nihil disposuerunt, succedit, velut ab intestato mortuorum morte civili, monasterium seu ordo religiosus, si successione sit capax. — 65. Si autem monasterium, seu ordo religiosus, non sit successione capax, tunc succedunt hæredes illorum ab intestato, perinde ac si morte naturali obiissent. — 66. Aha ad rem, ad n. 78.

expresso in cit. l. *Intestati 1, ff. De suis et legitimis hæredibus*, ibi: « Plane qui testari non potuit, proprie non est intestatus, puta impubes, furiosus, vel cui bonis interdictum est, sed hos quoque pro intestatis accipere debemus. » Et sic etiam qui tali succedit, dicitur intestato succedere, et hæres ab intestato appellatur. *Communis*.

(4. Successio ab intestato est acquisitio hæreditatis legibus debita absque testamento vel dispositione hominis. Est in re communis, arg. tot. titul. ff.: « Si quis, omissa causa testamenti, ab intestato vel alio modo possideat hæreditatem. »

(5. Porro locus est intestatæ successioni, si certum est, tabulas non exstare. L. 3, ff. *Si tab. test. non exst.* Quandiu autem ambigitur, an exsint necne, huic possessioni locus non est. L. 1, cod. *De poss. bon. sec. tab.* Neque solum cum nullæ testamenti tabulæ

exstant, huic possessioni locus est, sed cum etiam injustæ exstant, ut si quis filius præteritus fuerit, item si hæres scriptus recuset adire, vel probetur testatorem post factum testamentum ab intestato decedere voluisse. L. 1, § 9, et l. 13, ff. *Si tab. test. nul. exst.* Rursus ad hoc, ut locus sit intestatæ possessioni, requiritur ut nemo antea hanc possessionem adeptus sit, sive secundum tabulas, sive contra tabulas, vel requiritur ut hæres repudiaverit. L. 1, § 2 et 3, ff. eod., l. 1, § 1 *Quis ordo in possess.* Capta vero possessio in vim Carboniani edicti non impedit, quominus etiam ab intestato peti possit. L. 1, § 4, ff. *Si tab. test. nul. exst.* Hæc enim non est vera et definitiva possessio. Carboniano siquidem edicto locus est, « si cui controversia fiet, an inter liberos sit, et impubes sit, causa cognita, perinde possessio datur ac si nulla de ea re controversia esset, et iudicium in tempus pubertatis, causa cognita differtur. » L. 1, ff. *De Carbon. edict.* Sed videnda etiam lex 7, § 8, et l. 12, ff. eod., quæ rem clarius explicat. Notandum denique intestatam possessionem tunc demum concedi, nisi quis jure civili ex testamento hæreditatem adiverit. Exemplum habes in l. 2, ff. *Si tab. nul. exst.* \*

(6. Successio ab intestato est duplex, seu dupliciter fit, scilicet in capita et in stirpes, *Communis*. 7. Successio in capita fit et est, quando hæreditas secundum numerum personarum succedentium, quibus defertur, in portiones seu partes viriles, sive æquales, dividitur, ita, ut tot fiant partes seu portiones hæreditatis æquales, quot sunt capita seu personæ ejusdem gradus, et ob id appellatur *successio in capita*, textu expresso in novella 118, c. 3 in fine, ibi: « Quod in capita nostræ leges appellant. »

(8. Successio in stirpes fit et est, quando plures succedunt in locum alicujus, non secundum numerum personarum, sed secundum portionem, quam de jure accepisset ille, in cujus locum succedunt, ita ut omnes simul sive multi sive pauci sint, tantam solum portionem hæreditatis accipiant, quantam suus principalis, cujus loco succedunt, reciperet si adhuc viveret. Sic si pater intestatus decedens, unum filium et decem nepotes ex alio filio prædefuncto relinquat, isti decem nepotes succedunt *in stirpem*, id est in locum sui patris, a quo tanquam stirpe proveniunt, et omnes decem simul tantam solum portionem hæreditatis recipiunt, quantam reciperet suus pater, si adhuc viveret, id est solummodo tantam inter omnes, quantam accipit de se solo ipse adhuc vivens frater eorum prædefuncti patris, § *Cum filius* 6, et § *Sed nos* 16, Instit. *De hæreditatibus quæ ab intestato deferuntur*, ibi: « Quemadmodum inter filios et nepotes ex filio antiquitas statuit, non in capita, sed in stirpes dividi hæreditatem. » Et concordant authenticæ. *In successione*, cod. *De suis et legitimis*, et authenticæ. *De hæreditibus ab intestato venientibus*, cap. 1, collat. 9, ibi: « Tantam de hæreditate morientis acci-

piantes partem quancunque sint, quantam eorum parens, si viveret, habuisset, quam successionem in stirpes vocavit antiquitas. »

\* Jure antiquo, quod ex ipso prætoris edicto obtinebat, octo erant bonorum intestati possessionis gradus, quos fuse describit Theophil. *Instit.* lib. III, tit. 9, § 1. Ulpianus profecto septem duntaxat enumerat gradus, ut videre est in ipsius *Frag.*, tit. 28, § 7, licet hunc eundem textum mutilaverit Tribonianus, ut hanc legem legibus accommodaret Justiniani qui, omnibus sublatis gradibus, quatuor tantum constituit, ideo ita legitur Ulpiani textus in l. 1, ff. *Si tab. nul. exst.* Sed cur Theophilus octo enumerat gradus, septem vero tantum Ulpianus? Ex edicto quidem prætoris octo erant gradus, octavus nempe *Unde decem personæ*, quæ dabatur manumissori post vocatas ad hanc possessionem novem personas, videlicet filium, nepotem, neptem, patrem, matrem, avum, aviam, fratrem et sororem, et decimo loco vocavit manumissorem ad successionem manumissi intestati decedentis. Sed vide Theophil., *loc. cit.* Postea autem mancipationes et manumissiones in mancipationibus in usu esse desierunt; nullus proinde bonorum possessioni *Unde decem personæ* jam super fuit locus, ideoque Ulpianus omisit\*.

(9. Nunc vero ex constitutionibus Justiniani succedentium ab intestato quinque ordines assignantur: primus est *descendentium*, liberorum nempe, nepotum ac pronepotum, etc.; secundus est *ascendentium*, parentum nempe, avorum ac proavorum, etc.; tertius *collateralium*, fratrum nempe et aliorum consanguineorum; quartus *conjugum* inter se; quintus denique *fisci*. Authent. *De hæreditibus ab intestato venientibus*, seu novella 118, cap. 1, 2 et 3, collat. 9, ac tot tit., ff. et cod. *Unde vir*, et tot tit. cod. *De bonis vacantibus*.

(10. Liberi naturales et legitimi simul, id est filii ex legitimo matrimonio nati, si adhuc omnes sint superstites, sine ulla status differentia, sive feminæ, sive mares, sive sui sint, hoc est in patris potestate, sive emancipati, sive sæculares, sive clerici, aut ecclesiasticæ personæ, succedunt in capita et æqualiter ab intestato suis parentibus, tam patri quam matri, exclusis omnibus aliis, non solum collateralibus, sed etiam ascendentibus et descendentibus; si autem aliquis ex dictis liberis fuerit præmortuus, succedunt pro ipso ejus filii aut nepotes non in capita, sed in stirpes. *Communis*, textu expresso in cit. authent. *De hæreditibus ab intestato venientibus*, seu novella 118, cap. 1, collat. 9, et cit. authent. *In successione*, cod. *De suis et legitimis*.

(11. Etiam filii legitimati per subsequens matrimonium succedunt ab intestato parentibus, si soli sint vel unacum naturalibus et legitimis liberis jam natis seu nascituris æqualiter, cum habeantur per omnia, ac si ab initio legitime nati fuissent. *Communis*, textu expresso in § *Sui autem* 2, Institut.

*De hæreditatibus quæ ab intestato*, et cap. *Tanta* 6, Qui filii sint legitimi.

(12. Item filii legitimi tantum, id est adoptivi, etiam eodem modo quo legitime nati, æqualiter in capita succedunt adoptanti vel abroganti. *Communis*, claris juribus in § 14, Institut. *De hæreditatibus quæ ab intestato*, leg. *Cum in adoptivis* 10, § 1, cod. *De adoptionibus*, leg. *Si te parens* 5, cod. *De suis et legitimis liberis*, ibi: « Si te parens, in cujus fuisti potestate, solemniter in adoptionem dedit cum filiis naturalibus adoptivi patris ante vel post quæsitis, defuncto intestato succedere potes\*. Dummodo tamen fuerint in potestate adoptantis, dum hic mortuus est; emancipatione enim omnia adoptionis jura dissolvuntur. » L. 1, § 6 ff. *Unde liberi*\*.

(13. Filii naturales legitimati per rescriptum supremi Principis æquali jure, acsi fuissent legitime nati, succedunt ab intestato suis parentibus, si tres concurrant conditiones: scilicet primo, si nulli exstant filii legitimi; secundo, si pater naturalis, peracta generatione, ex aliqua justa causa matrem ducere non potuit, sique per subsequens matrimonium prolem legitimare nequivit; tertio, si proles in legitimationem consenserit. Sic expresse novella 74, cap. 1, et novella 89, cap. 9. Si autem supremus princeps in rescripto legitimationis insereret clausulam: « Non obstante quod adsint legitimi, » etiam in præjudicium legitimorum, » procederet conclusio, etiam non concurrente prima conditione, quia supremus Princeps potest antiquas leges abrogare et novas condere, arg. leg. *Disputare* 3, cod. *De crimine sacrilegii*, cum similibus, et in tali casu standum esset dispositioni posterioris legis, quia posteriora derogant prioribus, c. *Licet Romanus Pontifex* 1, *De constitutionibus* in 6, leg. *Sed et posteriores*, ff. *De legibus*, cum similibus. Et sic tenet *Communis* doctorum, teste Gailo, lib. II, observ. 142, n. 8.

(14. Legitimatio filii naturalis facta per rescriptum supremi Principis tempore, quo nulli existebant filii naturales simul et legitimi, probabilius non expirat quoad successionem ab intestato, etiamsi postea nascantur patri filii legitimi. Sic Gailus, l. cit., n. 5; Reiffenstuel lib. III, *Decr.*, tit. 27, n. 4; Bartolus, in l. *Ex facto*, n. 3, ff. *De vulgari et pupillari substitutione*; Baldus, ib., n. 1, ac etiam Jason, n. 13, citans communem; et ratio est, quia semel perfecta et consummata non irritantur, quamvis ad eum casum perveniant, a quo incipere non potuissent, l. *In ambiguus* 82, § 1, *De regul. juris*, ibi: « Non est novum, ut quæ semel utiliter constituta sunt, durent, licet ille casus exstiterit a quo initium capere non potuerunt, » et cap. *Factum* 73, *De regul. jur.* in 6, ibi: « Factum legitime retractari non debet, licet causa postea eveniat, a qua non potuit inchoari; » contrarium tamen sentiunt multi citati a Tiraquell. in leg. *Si unquam*, n. 273, cod. *De revocat. donat.*, arg. l. *Existimo* 98 princip., ff. *De verb. obl.*

(15. Filii naturales, non exstantibus aliis ex legitimo matrimonio natis, neque uxore legitima, succedunt ab intestato patri unacum sua matre in sextante, seu duabus uncis (id est duabus partibus, si hæreditas in duodecim dividatur) æqualiter inter eos dividendis; ita ut una prolibus naturalibus, altera vero matri remaneat. Novella 18, cap. 5, novella 89, c. 12. (16. Si autem exstant filii aut nepotes legitimi, vel legitima uxor, tunc non succedunt filii naturales patri ab intestato, nec avo paterno, sed solum debentur illis alimenta ex bonis paternis arbitrio boni viri. Cit. nov. 18, c. 5, et nov. 87, c. 12. (17. Succedunt tamen matri dicti filii naturales etiam illustri et omnibus ascendentibus per lineam maternam una cum legitime natis. L. *Si qua illustris* 5, cod. *Ad S. C. Orficianum*, et § *Novissime* 5, instit. eod., cum similibus.

(18. Filii spurii, vulgo *quæsiti*, nullatenus succedunt patri ab intestato. Arg. § 4, instit. *De successione cognat.* (19. Istorum enim certus pater nescitur, adeoque, etc. Succedunt tamen matri non illustri æque ac filii naturales. Cit. l. *Novissim.*, instit. *Ad S. consul. Orficianum*; et leg. 2, ff. *Unde cognati*. (20. Matri autem illustri et habenti filios legitimos non succedunt ab intestato; secus vero si legitimis filiis careat. *Si qua illustris* 5, cod. *Ad S. C. Orfician.*

(21. Filii ex damnato coitu, nec patri, nec matri ab intestato succedunt, quamvis nulli legitimi exstant. Novella 89, c. final. et authent. *Ex complexu*, cod. *De incest. nupt.*, v. verb. *Filius*, n. 127.

(22. Filiis ex damnato coitu æquiparantur, ita ut nec patri, nec matri, nec aliis ascendentibus succedant ab intestato, filii, quorum parentes ob crimen læsæ majestatis sunt condemnati. L. *Quique* 3, § 1, cod. *Ad leg. Jul. majest.* Item filii eorum, qui propter hæresim condemnati sunt. Cap. *Excommunicamus* 3, § *Damnati*, *De hæreticis*.

(23. Qui autem sint et dicantur filii legitimi, illegitimi, naturales, spurii, quæsiti, ex damnato coitu? Vide verb. *Filius*, ubi late de omnibus.

(24. Nepotes et pronepotes succedunt ab intestato avo vel aviæ in stirpes, sive adhuc exstant filii dicti avi et dictæ aviæ, sive non. § *Cum filius* 6 et § *Sed nos* 16, instit. *De hæredit. quæ ab intestato*; novella 118 et authent. *In successione*, cod. *De suis et legitimis*, et l. *Nepotes* 2, cod. eod. cum similibus.

(25. Deficientibus descendentibus, et fratribus, seu sororibus germanis, succedunt ab intestato soli ascendentibus, servata tamen graduum prærogativa, ita ut proximiores gradu excludant remotiores; unde pater et mater succedunt filiis decedentibus sine liberis et fratribus, vel sororibus germanis, id est utrinque conjunctis, exclusis a tali successione avo et aviæ. Novell. 118, cap. 2, authent. *Defuncto*, cod. *Ad S. Consult. Tertullianum*.

(26. Sic etiam si Paulus v. g. defunctus

sine liberis relinquit superstitem patrem et avum maternum, matre mortua, solus pater succedit Paulo, excluso penitus avo materno, etiam quoad bona materna et vice versa, patre mortuo, mater superstes excludit penitus avum paternum a successione filii etiam quoad bona paterna. Arg. l. *Si plures* 10, § *Filio*, ff. *De vulgari et pupillari substitutione*, et cit. nov. 118, c. 2, juncta Glossa, ib., verb. *Proximi*, et Gloss., in cit. authent. *Defuncto*, verb. *Gradus*; Pirrhing, l. iii *Decret.*, tit. 27, n. 13; Reiffenst., *ibid.*, n. 30, testans de communi contra paucos.

(27. Si defunctis patre et matre, exstent plures ascendentes sine fratribus vel sororibus defuncti, v. g. exstent avus et avia in linea paterna, et simul avus et avia in linea materna, aut ex parte patris exstet solus avus, et ex parte matris avus et avia, vel vice versa, tunc succedunt defuncto nepoti aut pronepoti omnes æqualiter, non in capita, sed in stirpes, ita ut hæreditas ex æquo inter illos ascendentes, qui eundem gradum obtinent, dividatur, et unam medietatem accipiant ascendentes a patre, alteram ascendentes a matre, sive plures fuerint, sive unus solus ex una parte. *Communis*, text. claro in cit. novella 118, cap. 2.

(28. Quando cum ascendentes æqualis gradus exstant etiam germani fratres et sorores defuncti, tunc succedunt omnes æqualiter, et in capita, ita ut ascendentes, et fratres, et sorores defuncti accipiant æquales partes hæreditatis, tot faciendo æquales portiones, quot sunt capita seu personæ. *Communis*, text. aperto n. cit. novella 118, cap. 2, § *Si vero*, et cit. authent. *Defuncto*, cod. *Ad S. C. Tertullianum*.

(29. Sorores autem et fratres solum uterini, id est ex sola matre, vel solum consanguinei, id est ex solo patre, excluduntur per ascendentes, nec possunt cum illis succedere hæreditati fratris uterini defuncti. *Communis* per text. in cit. novella 118, cap. 2, ibi: « Si vero cum ascendentes inveniantur fratres aut sorores ex utrisque parentibus conjuncti defuncto; » ubi, ut vides, textus ad id admittit solos fratres aut sorores germanos, et non solum uterinos, aut solum consanguineos.

(30. Germanorum filii succedunt cum ascendentes et fratribus seu sororibus germanis hæreditati alterius prædefuncti germani fratris aut sororis, non nisi tamen in stirpem, text. expresso in novella 127, cap. 1.

(31. Nepotes autem seu pronepotes præmortui fratris non gaudent hoc privilegio, sed excluduntur a dicta hæreditate per ascendentes et germanos fratres, aut sorores ipsius præmortui fratris, ut constat clare ex Rubrica cit. novella 127, ibi: « Ut fratrum filii succedant pariter ad imitationem fratrum etiam ascendentes exstantibus, » ubi, ut vides, Rubrica ad dictam successione admittit solum fratrum filios, non autem nepotes et pronepotes. Tum quia jus representationis ultra fratrum filios locum non habet in linea collateralis. Authent.

*Post fratres fratrumque filios*, cod. *De legitimis hæredibus*.

(32. In iis casibus, in quibus filii naturales et illegitimi succedunt parentibus, parentes etiam succedunt illis, textu expresso in nov. 89, c. 13.

(33. Deficientibus descendentes et ascendentes, succedunt ab intestato defuncto ejus sanguine juncti collaterales, et quidem æqualiter, et in capita, cum hoc tamen, quod collateralis gradu proximior semper totaliter excludat remotiorem, sicque omnium primo succedunt germani fratres et sorores, penitus exclusis fratribus et sororibus solum uterinis, vel solum consanguineis, text. expr. in novella 118, cap. 3, et authent. *Itaque*, cod. *Communis*, *De successione*.

(34. Quando cum defunctis fratribus et sororibus germanis exstant etiam filii alterius fratris aut sororis germanæ prædefunctæ, tunc etiam isti cum illis ab intestato succedunt, ita tamen ut fratres et sorores succedant in capita, et dicti filii solum in stirpem omnes simul pro unica tantum portione loco sui patris prædefuncti, text. expr. in nov. 118, cap. 3, § *Si autem*, et in authent. *Cessante*, cod. *De legitimis hæredibus*.

(35. Sicuti fratres germani, ita etiam filii fratrum germanorum excludunt fratres solum uterinos, vel solum consanguineos, sublata omni differentia sexus et emancipationis, textu claro in cit. novella 118, cap. 3, § *Si autem defuncto*, et cit. authent. *Cessante*, cod. *De legitimis hæredibus*.

(36. Si soli filii diversorum fratrum vel sororum exstant, et nullus frater defuncti, neque germanus, neque solum consanguineus, aut solum uterinus, tunc filii et filia fratrum germanorum, non in stirpes, sed in capita succedunt defuncto patruo. Affertur exemplum. Demus, quod Petrus habens duos fratres Paulum et Joannem, iis præmortuis, intestatus decedat, et ex fratre Paulo exstant quatuor filii seu filia, et ex altero fratre Joanne sex. Hi decem filii seu filia duorum fratrum succedunt Petro patruo suo, non in stirpes, sed in capita, sicque hæreditas Petri non est dividenda in duas partes pro numero duorum fratrum præmortuorum, sed in decem partes secundum numerum decem filiorum, seu filiarum dictorum duorum fratrum. Sic clare deducitur ex l. *Post consanguineos*, § 2, ff. *De suis et legitimis hæredibus*, ibi: « Si plures sint ejusdem gradus, omnibus (omnibus defertur hæreditas) in capita scilicet, utputa duos fratres habui vel duos patruos, unus ex his unum filium, alius duos relinquit, hæreditas mea in tres partes dividetur, » et l. *Leg. duodecim* 14, ad finem, cod. *De legitimis hæredibus*, ubi de liberis fratrum et sororum sic statuitur: « illo procul dubio observando, ut successio non in stirpes, sed in capita dividatur. » Sic Fachin., lib. vi *Controv.*, cap. 3; Molina, tract. 2, disp. 164, n. 12; Covarruvias, in *Epitom. success.*, n. 12; Reiffenstuel,

lib. iii *Decret.*, tit. 27, n. 39; Pirrhing, *ibid.*, n. 21, testans de communi contra aliquos, et ferens hanc sententiam fuisse approbatam a Carolo V, in comitiis imperialibus Spiræ habitis anno 1529.

(37. Si autem nullis exstantibus fratribus germanis defuncti, exstant ejusdem fratres consanguinei vel uterini, tunc succedunt quidem soli filii et filia fratrum germanorum, exclusis fratribus solum consanguineis, vel solum uterinis, ut expresse habetur in novella 118, cap. 3, § *Si autem*, vers. *Unde consequens est*; at vero in stirpes et non in capita, quia, quando prædicti filii et filia fratrum germanorum defuncti concurrunt cum ejusdem defuncti fratribus consanguineis vel uterinis, tunc succedunt solum jure representationis sui patris fratris germani dicti defuncti, alioquin non possunt excludere ab ejusdem hæreditate ipsius defuncti fratres consanguineos et uterinos, cum essent uno gradu ipsis remotiores: adeoque cum eos solummodo excludant, quatenus representant patrem suum defunctum, qui utpote frater germanus eos excluderet, et succedentes jure representationis, succedunt in stirpes, et non in capita, ex cit. nov. 118, c. 2, § *Si autem*, et authent. *Cessante*, cod. *De legitimis hæredibus*, in tali casu dicti filii et filia succedunt in stirpes, et non in capita. Sic Fachin., *loc. cit.*; Pirrhing, *loc. cit.*, n. 21; Reiffenstuel *loc. cit.*, num. 41, et alii communiter.

(38. Quando nulli exstant liberi legitimi, nec germani fratres vel sorores defuncti, de cujus hæreditate agitur, tunc ab intestato succedunt ejus consanguinei seu uterini fratres et sorores, exclusis omnibus collateralibus, textu expresso in cit. novella 118, cap. 3, vers. *His autem non exstantibus*; et authent. *Post fratres autem*, cod. *De legitimis hæredibus*.

(39. Quando defunctus relinquit quosdam fratres consanguineos, et etiam quosdam fratres uterinos, tunc probabilius fratres consanguinei succedunt in bonis paternis, nempe quæ a patre defuncto ad eum pervenerunt, et fratres uterini in bonis maternis, nempe quæ a matre defuncta obtinuit, in aliis vero bonis æqualiter et indistincte succedunt. Sic colligitur ex leg. *De emancipatis* 13, § *Exceptis maternis rebus*, cod. *De legitimis hæredibus*, ibi: « Exceptis maternis rebus, in quibus, si de eadem matre, fratres vel sorores sunt, eos solos vocari oportet. » Et sic tenent Glossa, in authent. *Post fratres* 1, verb. *Filii eorum*, cod. *De legitimis hæredibus*, et Gloss., in authent. *Itaque*, verb. *Utroque parente*, cod. *Communis*, *De successione*, et ibi Bartolus, Covarruv., in citat. epitome *De successione ab intestato*, n. 8, § *Tertio est advertendum*; Jason, in leg. *Post dotem*, ff. *Solutio matrimonii*; Molina, cit. disp. 164, n. 7; Pirrhing, *loc. cit.*, n. 22, et ipso teste, alii communiter, et hanc sententiam vocat etiam communissimam Reiffenstuel, *loc. cit.*, n. 43, quamvis ipse n. 44, 45 et 46, cum

variis aliis defendat oppositum. (40. Quæ sententia est vere probabilis, ut fatetur etiam ipse Pirrhing, *loc. cit.*, eamque propugnant Fachin., Fulgosus, Corneus, Hainold, Bald. Salicet. et alii cum Reiffenstuel, *loc. cit.*

(41. Deficientibus omnibus fratribus et sororibus, tam germanis quam consanguineis et uterinis, eorumque omnibus filiis, succedunt ab intestato reliqui collaterales sanguine juncti gradu propinquiores, exclusis remotioribus, et quidem non in stirpes, sed in capita, si plures exstant ejusdem gradus, nulla habita distinctione aut differentia sexus masculini aut feminini, agnationis et cognationis, vel bonorum paternorum aut maternorum, sive utrum ex utroque an ex uno tantum latere sint conjuncti, quia in istis sola cognatio spectatur, textu expresso in authent. *Post fratres* 2, col. *De legitimis hæredibus*, et c. nov. 118, c. 3 in fine, et cap. 4 per tot.

(42. Ab intestato succedere possunt omnes cognati gradu proximiores probabiliter usque ad decimum gradum tantum secundum computationem civilem. Sic Glossa fin. communiter recepta in authent. *In successione*, cod. *De suis et legitimis hæredibus*, et cit. novella 118, cap. 3, § final., verb. *Cognatus*, et debet hæres petens hæreditatem probare se defuncto intra decimum gradum conjunctum fuisse. Schneidew., *Comm. in Institut. De hæredit. quæ ab intestato*, § *De tertio ordine succedentium*, n. 40; Pirrhing, *loc. cit.*, n. 23, vers. *Porro hodie*, et alii, arg. § *Hoc loco* 5, instit. *De successione cognatorum*.

(43. Plures tamen alii satis probabiliter censent hodie agnatos et cognatos etiam ultra decimum gradum, admitti ad successionem in infinitum, excluso fisco, dummodo suam genealogiam probare possint. Leg. *Post consanguineos* 2, § 1, ff. *De suis et legitimis hæredibus*, ibi: « Deincepsque cæteri, si qui sunt hinc orti in infinitum; » et concordat § *Cæterum* 3, Instit. *De legitima agnatorum successione*; tum quia in cit. novella 118, cap. 2, § final. et cap. 4, omnes agnati et cognati ad hæreditatem vocantur juxta gradus prærogativam, nulla facta restrictione ad certum gradum, quod idem colligitur ex leg. *Vacantia* 4, cod. *De bonis vacantibus*. Cæterum recte notat Reiffenstuel, *loc. cit.*, n. 47, quod inutilis videtur quæstio an talis successio extendatur usque in infinitum, an vero solum usque ad decimum gradum; quia ultra decimum gradum casus successionis ab intestato vix contingit.

\* Mihi quidem hac in re non videtur locus quæstioni; exstat lex non obscura, quæ septem numerat cognatorum gradus, quæ est l. 1, § 3, ff. *Unde cognati*. Idem statutum legitur in Institut. lib. iii, tit. 6, § 5, vers. *Proximitatis*. Ergo ultra septimum gradum non esse locum cognatorum successioni pro certo habendum est\*.

(44. Filii adoptivi non succedunt filiis legitimis patris adoptantis, nec aliis agnatis et cognatis, nec isti succedunt filio ado-